

mus, quod vos specialia instrumenta domini Karoli seu alterius principis ipsis in contrarium habeatis.“

20.<sup>1)</sup> Incusatio deflorationis. Eywancziczenses scripserunt: „Qualiter de una olim paupercula deflorata aliqui incusati sunt, qui captivati fuerunt et fideiussores posuerunt pro 100 marcas. Sed ille, qui pre ceteris de facto huiusmodi incusabatur, de carceribus evasit. Sociis suis dimissis, fideiussores ipsi 100 marcas dederunt. Postea unus fideiussorum in eodem tres marcas et 8 grossos, racione eiusdem <sup>mm</sup> fideiussorie obtinuit, prout scripsisse meminimus. Nunc alter fideiussorum eundem evasum iterum impetit pro tribus marcis et 8 grossis et infra. Item relicta quedam similiter ipsum impetit loco mariti sui premortui. Sed reus dicit, quod in emendis suo marito in paratis pecuniis solverit.“

„Super primo respondemus: quod notorium est, fideiussores 100 marcas dedisse pro evaso, qui pre ceteris incusabatur, non obstante quod dicit, eum non rogasse personaliter, tenetur sibi ad solutionem trium marcarum et medii fertonis, quas suus fideiussor pro ipso noscitur expendisse. Super secundo similiter respondemus: quod vidua sive relicta debet super eo habere et recipere ex parte mariti sui similiter tres marcas et medium fertonem. Et si reus aliud probaverit mettercius sibi in emendis dedisse, hoc debet relicta omnimodo defalcare. Datum Brunne circa Procopii.“<sup>2)</sup>

21.<sup>3)</sup> Ad idem. „Eisdem respondimus de facto huiusmodi ut prius, videlicet sic: Si notorium est, sicut credimus, quod actor pecuniam dederit pro reo, qui de carceribus evasit, merito suam pecuniam, videlicet tres marcas et 8 grossos, rehabebit aut reus tormentum carceris reintret, passurus penam debitam arbitrio iuratorum. Unde secundum sacras leges: Qui alium de naufragio eripuit, dentem vel oculum sibi unco hacem extrahendo, et si taliter lesus lesionis sue emendam postula-verit, paciatur prius submersionem in qua fuit. Et si medio ampne sine adiutorio exiverit de profundo, emendam debitam paciatur.“<sup>4)</sup>

22.<sup>5)</sup> De arrestatione debitorum causa. Eywancziczenses scripserunt: „Zeidlinus de Gobals Clementem de Czulobicz circa nos pro media

<sup>mm</sup>) H]. scheint, etwas undeutlich leserlich, cuiusdam zu haben, aber eiusdem richtiger.

<sup>1)</sup> S. o. S. 477.

<sup>2)</sup> Hier der einzige Briefschluß dieser Art, Jahr nicht zu ermitteln. Tag: 4. Juli (Grotefend, Zeitrechnung<sup>7</sup> S. 90: „Procopii abb. Pragenses. conf. (Prag, Gnef. Meiß.).“

<sup>3)</sup> S. o. S. 477.

<sup>4)</sup> Darunter steht ganz klein und kurz: de duobus (Zahlzeichen) altum extruentibus puteum sententiandum, d. h. ein Verweis auf Fall 24, der mit seiner Überschrift hieran anknüpft, Erläuterungen s. d.

<sup>5)</sup> S. o. S. 445.